

Letter 295: 8 July 1526, [Strasbourg], Capito to Ludwig Baer  
Original autograph in AST 175, fol. 43; Printed in Gerdesius, vol. 2, pp. 107-10.

Gratia Christi tecum et agnitio potentiae eius, clarissime doctor et amice.

Superioribus diebus ad me scripsit Oecolampadius de libello super disputatione Badensi edito satis severe et obiurganter. Nimirum talibus libellis etiam vera referentibus nihil promoveri, multo minus, si vana ostentent, qualia viderat in illo. Nunquam enim quenquam a se audisse, quae tibi per authorem libelli tribuantur, tanquam asserta coram se. Cui respondi, quod res est, talibus libellis hoc duntaxat quaeri, ut acta in vulgus tandem exeant, nulliusque famam onerari. Tametsi tua intersit, ut testeris huiusmodi a te non dicta causa securitatis, ne cui malo hinc ansa praebatur exhibendi tibi negotii, et caetera opinor in hanc sententiam.

Interea Zwinglio libellum talem cum literis privatis proprio nuntio misi, qui per occasionem captus est, et ablatis literis ac libello, cum dura quadam ad me epistola Helvetiorum remissus est. Quid scripserim nescio, auguror tamen gratulatum me viro optimo, quod ad Baden non venerit ad tantum periculum, hortatum ut fortiter in asserendo Christo pergat, cum admonitione Fabrilis technae, quem putaram, imo praevideram, Caesareum edictum iactaturum proximis Comitibus Badensibus, quo se Caesar evangelium funditus extirpaturum recepit, quod sit nunquam praestaturus Domino impediendo, iniectis undique remoris, (etiam id ipsum per suos Gamalieleos quos habet inter suos episcopos et aulicos) tametsi fumus eiusmodi mediocres republicas turbet terreatque, quae modo pedem videntur referre, mox fortiores rediturae. Praeterea mittere me libellum de disputatione, quem, ut de re gesta instructor, adornare deberet convitiis Eccianis, quibus innocentissimum Oecolampadium ille proscidisset. Nos editum curaturos ut sic provocaremus invulgationem actorum. Huiusmodi opinor literae continent.

Verum Faber, ut est ore futili et iactabundo, pridie nocturno quodam convivio in Baden Marchionis exhilaratus horrendas minas efflavit, deprehensas esse machinas nostras, patereque perniciosas artes, quas Basiliensis Senatus magno nisu tentavit explorare, confectum atque excisum me prorsus, quem nuncium benignus Faber mihi curavit obiiciendum, adacto ad hoc equite quodam, ut rem ordine mihi referret. Summa erat. Basiliensem Senatum inexplebili odio me persecuturum. Rem tacitus expendi, sic mecum reputans, quid si vera referat Thraso ille, et Bero doleat calumnia libelli, quo ceu partim Lutheranus traducitur? Arrepto itaque calamo, has ad te delineavi, utpote amicum veterem ac familiarem praecipuum, quibus de animo meo testarer. Sum enim qui olim, pacis atque ocii amator, quatenus cum Deo licet, qui soleam inimicos molestiores perferre ac vincere longanimitate, tantum abest ut amicos in me maledictis irriterem. Tuum institutum nunquam mihi ita displicuit, neque ita intolerabile fuit ut quorundam, qui contentus tua sectari, in aliorum perniciem nihil acerbius hactenus es admolitus, dissides civiliter magis quam odiose, quo nomine gaudebam quoque te praefectum disputationi gubernandae. Non dubitavi enim te authore per vim nihil gerendum. Utinam ista moderatione vulgus papistarum suam fabulam saltasset, minus cruoris effusum quereretur Germania. Postquam igitur fieri non potest, ut sis noster totus et apertus Christi professor, placuit nobis semper talem esse te, qualis es, quam ut multorum furori operam navares, qui nihil aliud nunc cogitant, quam ut innocentes Christi professores e medio tollant. Proinde nihil causae est, ut me volente tu traducaris odiose, et si quid eiusmodi excidit, praeter voluntatem et scientiam meam accidit. Quid igitur? Damnum daturum est Bero tam frigido libellulo? Certe non est, maior es, quam qui stipulis deiici de honoris possessione queas. Ego, quem Dominus varie iactavit, quam constanter contempsi multo graviores stilos, et acerbissimas contumelias, dum adfuisset occasio ulciscendae iniuriae, neque huius tolerantiae adhuc poenitet. Nam iniuriam ultus odia multorum incurrissem et declarassem

45 vulgo, dolere mihi spicula talia, qua persuasione semel suscepta, Myriades libellorum  
 maledicorum fuissem expertus, quem odiundum susceperunt hac impetunt potissimum qua  
 maxime patet. Vide etiam atque etiam ut rationem totam bene tecum suppetes, ne quiddam  
 simile tandem frustra deploras, dum studes accuratius tuam innocentiam assertam. Libellus  
 obscurus est admodum, neque mihi dum ab integro relectus, nobilitabitur, graviter accusatus per  
 te virum eximium autoritate et eruditione. Et est, quod ego me excusabo, ac tutissime periculum  
 50 propellam. Nam extra tela est, qui pleraque curavit scribenda, cuius forte manum comperiremus,  
 si usus feret. Quod si studium est depellendae suspicionis adversae, dent operam proceres  
 Helvetiorum, vel potius qui hanc tragaediam per illos actores proposuerunt, ut acta disputationis  
 evulgentur. Lumen amant, quae palam geruntur, et veritas vel secreta et in aurem immissa soli,  
 publica iudicia non reformidat. Profecto rancidi libelli nemini sunt detrimento, si nullius bonam  
 55 famam imminuunt.

Hoc vehementer obest, quod Faber magnificis mendaciis passim gloriabundus  
 depraedicabat, se vicisse, decrevisseque 12 pagos Helvetiorum, evangelium de finibus ipsorum  
 eiiciendum atque prohibendum vulgum a lectione Novi Testamenti, quorum literas et cerae signa  
 huiusmodi decretum attestantia secum deferat principi suo reddenda, quod fere non dubitant esse  
 60 certissimum. Iam vero, uti veritas et conditio Helvetiorum, qui verbum pure asserunt, tum apud  
 eos, inquam, qui Fabri fabricam ignorant, vanitatis arguent probissimi Helvetii propter illius  
 impudentissimi Fabri stolidam vanitatem, sic mentientis illos pronunciasse sententiam, quam  
 partim ex professo etiamnum impugnant. Nobis certe obscurum non est, quid Bernates, quid  
 vestri, imo nostri, Basilienses et quidam alii ea in re publice meditentur. Verum sic sunt tempora,  
 65 ut ignavissimis fucis apud cordatissimos sit tantum loci, tantum autoritatis ac nominis. Erit  
 quando technis minus tribuetur, modo sit aliquando sua dignitas futura verbo Domini, quam certe  
 potentia orbis hac tempestate nunquam excludet, quin oppugnata clarior elucescet semper. Haec  
 tecum libuit simpliciter et candide, nolim tamen ut dicta putes metu, aut cavendi tantum negocii  
 causa. Nolo enim quenquam quicquam mei causa vel omittere vel facere, quod in gloriam Dei,  
 70 ad illustris Basiliensis senatus autoritatem, aut ad integritatem tuam asserendam spectet. Imo, si  
 quis suggeret, quo pacto ipse eadem possem, partibus meis non essem defuturus. Quare,  
 observabilis vir, esto liberum per me, ut id agas, quod acturus es, tantum annitere, ne quid praeter  
 gloriam Dei et absque decoro. Porro, si quid est qua in re me velis, diligenter significa, multo  
 diligentius id efficiam, modo sit quod Christianam professionem deceat, sicut certe nihil, ut es  
 75 vir bonus, petiturus videris, nisi aequissimum. Vale in Domino. 8 Iulii anno 1526.

V. Capito